Howard



# Secundum quos auctores Livius res a Scipione maiore in Africa gestas narraverit.

DISSERTATIO,

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN ACADEMIA REGIA CHRISTIANA ALBERTINA KILIENSI IMPETRANDOS

SCRIPSIT

KAROLUS KESSLER.
Kirchhainensis.

KILIAE.
EX OFFICINA C. F. MOHR. (P. PETERS).
1877.

Imprimatur:
Dr. WILH. SEELIG.
h. t. Decanus.

PATRI CARISSIMO

# DANIELO KESSLERO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

DEDICAT FILIUS.

# Pars I.

Auctores rerum a Scipione majore in Africa gestarum in primis sunt Livius, Polybius, Appianus, quorum Livius et Polybius maxime inter se convenire videntur, Appianus autem cum aliis fontibus iisque omnino alia ratione usus sit*), multas res tradit, quae quidem apud illos desiderantur**), sed caute accipiendae sunt.

Livii vero et Appiani de bello Punico secundo libri cum integri exstent, Polybiani tamen operis paucae ad nostram aetatem pervenerunt reliquiae. Verumtamen fragmenta Polybiana ad res a Scipione in Africa gestas pertinentia satis sunt gravia, quae cum Livianis integris libris XXIX et XXX conferri possint. — Jnter quae fragmenta (libb. XIV et XV) et Livianam narrationem intercedere — id quod facillime intellegi potest — magnam similitudinem ab omnibus est concessum; summa autem rei versatur in inquirenda ac judicanda ratione ejus cognationis.

Homines docti ante Niebuhrium qui erant pro certo habebant, omnes Liviani operis partes, quae cum Polybio consentirent, a Livio esse desumptas ex ipso Polybio***). Rectius quidem quam priores Niebuhr judicavit de ratione qua Livius in libris historiarum conscribendis usus sit Polybiano opere, cum dicat: »Livius tum demum cum de rebus Philippi, regis Macedonum dicturus esset, Polybium adiit«†).

Sed hanc quam ingressus est Niebuhr viam relinquere posteriores maturarunt, quorum plerique Lachmannum secuti sunt, qui primus summa cum diligentia ac subtilitate in fontes majoris Liviani operis partis inquisivit rationemque statuere conatus est, qua Livius in libris XXI et XXII suis fontibus usus sit.

Ac vir ille doctus Livium inde a primis decadis tertiae libris Polybium secutum esse fontem principalem probare studuit atque multas eius partes ad verbum

*) De Appiani genere scribendi cfr: Nissen, Quaestiones criticae, cet.. Berlin 1863. Cap. VI. —

**) Keller, bellum Punicum secundum: Marb. 1875. cap. II. —

***) Cfr. Nissen, l. c. pag. 76—77, et Lachmann, de fontibus historiarum Titi Livi.

†) Niebuhr, scholas de hist. Roman. habitas, ed Schmitz, pag. 84.

Latine vertisse, ita tamen, ut Polybianam narrationem nonnullis rebus ex annalibus Romanis desumptis amplificaret atque illustraret. Lachmann igitur et qui eum secuti sunt Livianum opus esse compositum censebant*) ex tribus quasi partibus, quarum unam mere Polybianam, alteram prorsus ex annalibus desumptam, tertiam his duabus partibus plus minusve inter se coniunctis et contaminatis genus scribendi mixtum appellabant. Quae Lachmanni posteriorumque sententia paene usque ad nostram aetatem plurimorum hominum doctorum iudiciis probata est; nec tamen defuerunt qui ita originem similitudinis explicari posse censerent, ut et Livium et Polybium eodem ex fonte hausisse statuerent**). Quae de fontibus, e quibus hauserit Livius et de ratione, qua iis usus sit quaestio diu in utramque partem disputata a Nissenio demum etiamsi non ad finem, certe tamen in novum statum est adducta, ex quo solo debellari poterit. Qui a Livii decadibus IV et V, i. e. ab iis Liviani operis partibus profectus, in quibus Livium e Polybio hausisse facilius clariusque perspici potest, et quas res Livius e Polybio desumpsisset collegit et qua ratione eas in opus suum recepisset, quoque modo Polybii sermonem Latine convertisset ceterisque cum fontibus coniunxisset demonstravit. Comparatis decadum IV et V libris cum Polybiani operis fragmentis Nissen vera assecutus videtur esse cum dicat:

1) Livium in solis rebus Graeciae narrandis Polybiano opere usum esse fonte principali;
2) Livium neque amplificasse neque correxisse annalibus Polybianum sermonem, sed descripsisse i. e. de Graecis modo liberius, modo magis ad verbum Latine expressisse;
3) Livium, si Polybii et Romanorum annalium scriptorum narrationes coniungere conatus sit, utrosque fontes nulla cura adhibita ac sine ulla exercitatione composuisse, quare non ita raro acciderit, ut easdem res atque interdum ita ut inter se repugnent bis referat;
4) Livium nunquam duos fontes sic contaminasse, ut Lachmann Peter ceterique qui eos sint secuti censuerint; denique
5) Livium in progressu operis melius meliusque artem qua Polybii sermonem interpretaretur et diversos fontes inter se conjungeret didicisse.

---

*) Th. Lucas, de ratione qua Livius in libris historiarum conscribendis usus est opere Polybiano; Progr. Glog. 1854, pag. 17. — O. Meltzer, de Coelio Antipatro, diss., pag. 45. — Similiter iudicat: C. Peter (progr. Port. 1863) de fontibus libb. XXI et XXII.

**) Jd quod jam Lachmann (comment. altera. pag. 7, adnot. 4) recte adnotaverat.

Ei autem qui in fontes a Livio in decade tertia componenda usurpatos inquirere sibi proposuerit esse proficiscendum ab illis Nissenii judiciis a plerisque concedetur.

---

# Pars II.

Jnquirentibus in fontes, quos Livius secutus res a Scipione majore in Africa gestas narraverit, prima oritur quaestio, utrum omnia Livius, quae de his rebus tradiderit, ex uno eodemque fonte duxerit necne. Narrat has res Livius in libris XXIX, cap. $28^{10}$ — cap. $36^{3}$ et XXX, cap. 3—16, cap. $24^{5}$ — $25^{10}$, cap. 28—$38^{5}$. —

Quae omnia ad res Africae pertinentia ad unum eundemque auctorem esse referenda inde apparet, quod tota narratio eundem rerum inter se nexum, eundem sermonis tenorem, eandem rerum Romanarum Punicarumque cognitionem praestat, quod, quaecunque in libro XXX de rebus Scipionis narrantur, cum consentire inter se tum cum iis quae in libro XXIX de eiusdem Scipionis factis proferuntur, videmus, quod saepius non solum in rebus magnis, sed in rebus vel minimis ad priora respicitur. Sed mittamus hoc loco plura recensere provocemusque ad Friedersdorffium, qui omnes Scipionis majoris expeditiones ad unum auctorem esse referendas demonstrasse sibi videtur; transeamus ad ipsam quaestionem, qua indicandum nobis erit, quanam ratione tantam rerum verborumque similitudinem esse ortam putemus. Quamquam enim haud ignoramus, ab omnibus scriptoribus, qui easdem res tradunt, nonnullas res eadem ratione, interdum etiam casu quodam singulari iisdem verbis esse expositas, tamen tantum per longam capitum seriem consensum casu esse factum omnino negamus. De hac quaestione iam multum et egregie a viris doctis disceptatum est; itaque primum hoc loco paucis verbis indicanda erunt, quae illi de harum rerum fontibus conjecerunt. Qui post Lachmannum de fontibus in decade III componenda usurpatis sententias protulerunt in diversas partes digressi sunt; quorum alii, ut Lucas Peter Woelfflin ceterique a libris XXI — XXII profecti Livium per totam decadem III conscribendam maxime Polybium elegisse ducem principalem contenderunt*), alii ut Michael Nissen ceterique argumentis haudquaquam infirmis nixi Livium in conscribendis decadis III libris non habuisse in fontibus Polybium, sed utrumque

---

*) Lucas, l. c. — H. Peter, hist. Roman. rel. — C. Peter, Livius et Polybius. — Woelfflin, Coelius Antipater, Tur. 1872. —

scriptorem ex eodem hausisse fonte confirmarunt*). Jlla Nissenii judicia complures iam homines docti ut Boettcher, G. Michael**) aliique studio amplexi profectique a prioribus decadis III libris iisque inspectis ac comparatis cum Polybiana narratione affirmarunt, similitudinem inter duos scriptores esse ducendam inde, quod et Livius et Polybius eundem exscripsissent auctorem***). Mittamus hoc loco inquirere ac dijudicare, rectene illi viri de fontibus priorum decadis III librorum an non recte disputaverint, quibuscum in ea re consentimus, quod Livium ipsum has res non e Polybio hausisse contenderunt. Sed hi viri mihi errasse videntur eandem rationem atque in prioribus decadis III libris etiam in posterioribus inter Polybium et Livium intercedere statuentes. Nam cum in his Livianis libris consensus inter duos illos scriptores in brevioribus tantum modo narrationis partibus inveniatur, prorsus abhorrent ab hac ratione posteriores decadis III libri, imprimis liber XXX, in quo summum inter Livium et Polybium concentum per longam capitum seriem intercedentem videmus. Jam inde apparet, consensum inter illos scriptores de rebus in Africa gestis aliam habere originem. Rectam viam ingressus est Friedersdorff, qui primus difficillimum in fontes posteriorum decadis III librorum inquirendi opus suscepit. Sed et ipse Friedersdorff eandem atque illi quos supra nominavi persuasionem sudio amplexus evidentur sibi demonstrasse visus est, e communi fonte quae et Polybius et Livius de rebus gestis Scipionis referrent fluxisse†). Optimo jure hi viri docti iis nixi de quibus supra disputavimus argumentis statuerunt: Livium res Scipionis non traxisse e Polybio; quam sententiam ipsi nos quoque lubentissime profitemur. Nimirum a Livio id factum esse statim ab initio ea ex causa a verisimilitudine abhorrere videtur, quia Livium nisi in rebus Graecorum narrandis Polybium non elegisse ducem principalem Nissenii quaestionibus exploratum habemus; id quod cur in III decade aliter se habeat non est quod ponamus, neque omnino credibile nobis videtur, Livium si jam diu Polybium egregium

*) Michael in progr. Torgav.: »Jn wieweit hat Livius den Polybius benutzt«? — Nissen quaest., p. 84—85. —

**) G. Michael, Diss. Bonn. 1867: Qua ratione Livius in lib. XXIII—XXVII fontibus suis usus sit. —

***) Nitzsch (Kiel. Mon. f. Wiss. und Lit. Jen. 1854) in libris XXI et XXII Livii et in libro III Polybii communem fontem putat inesse: Q. Fabium Pictorem; postea vero aliam sententiam professus de Sileno cogitavit, quem et Livius et Polybius secuti essent. (cf. v. Sybels hist. Zeitschrift, 64. vol. XI. p. 1.): quam sententiam magis explanavit Boettcher in quaest. crit. diss. Reg. Mon. —

†) Friedersdorff: Livius et Polybius, Scipionis rerum scriptores Diss. Goett. 1869. pag. 49. —

esse auctorem omnium rerum cognosset postea tam praestantis fontis usum tam arctis finibus coerciturum fuisse atque cum eum per totam III. decadem conscribendam non solum in rebus Graecis, sed etiam in rebus Jtalicis Gallicis Jbericis Africis tradendis potissimum secutus esset, in posterioribus operis partibus, decadibus IV et V, illo auctore tam luculento in solis rebus Graecorum narrandis in iisque alia prorsus ratione atque in prioribus usurum fuisse (Liv. XXX, 10, 10.).

Facile enim poterit cognosci probarique, Livianum genus scribendi et convertendi sermonem Polybianum, quod in decadibus IV et V reperimus, omnino alienum esse ab eo, quo res Scipionis narrantur. Nam primum si Livium ipsum omnes decadis III partes quae cum Polybio concinunt ex eo duxisse ponimus, omnino intellegi nequit qui fieri potuerit, ut Livius in III decade scribenda Polybii sermonem alia eaque multo meliore et accuratiore ratione quam in sequentibus decadibus IV et V in Latinam orationem verteret; praesertim cum a Nissenio doceamur, Livium cum progressu operis melius meliusque artem interpretandi Polybianum sermonem didicisse.

Huc accedit, quod apud Livium (l. XXX) nonnulla inveniuntur, quae apud Polybium (l. XIV et XV) aut non leguntur aut aliter narrantur; id quod paucis exemplis probandum erit. Librum XXIX quidem, cum nullum Polybiani operis fragmentum ad comparandum exstet, missum faciamus et transeamus ad librum XXX, quia fragmenta Polybiana exstant tam copiosa, quibuscum tota fere Scipionis rerum narratio apud Livium conferri possit.

Atque primum quidem erit monendum, Polybium nusquam attulisse, quae signa militaria essent capta; Livium autem scilicet ejus auctorem hoc fecisse videmus Liv. lib. XXX, capp. 6 et 35 et 36.

Legati Carthaginiensium ad pacem petendam Romam missi a senatu Romanorum, si Livium sequimur, »pace infecta ac prope sine responso« dimissi sunt;*) senatum pacis leges a Scipione concessas fecisse ratas Polybius l. XV, cap. 1 et 4 auctor est.

Livius l. XXX, cap. 23 tradit, Carthaginiensium legatos a Q. Fulvio Gillone Scipionis legato Romam adductos indeque in Africam reduces esse redditos; Polybius ne nomen quidem Fulvii commemoravit.

Apud Livium (XXX, cap. 37) pacis legibus, quae cum Polybio prorsus consentiunt, indutiarum condiciones adduntur; de quibus apud Polybium nil reperitur.

Apud Livium (l. XXX, cap 37) videmus scriptum: »pars exercitus cum

*) cf. Livii libr. XXX, cap. 23 et 30. —.

omni equitatu Saturnalibus primis agmen Verminae adgressa«; quod prorsus alienum a Polybio esse quis est qui neget?

Idem de hoc loco, quem apud Livium (l. XXX, c. 33, 2) legimus, dici potest: »Laelium — —, cujus ante legati, eo anno quaestoris extra sortem ex senatus consulto opera utebatur«.

Permagni autem momenti est, quod apud Liv. lib. XXX, cap. 33 legionis Macedonicae in acie Hannibalis instructae mentio fit; de eadem legione apud Livium l. XXX, cap. 26 et cap. 42 agitur, quam Polybius nusquam commemorat. Hanc rem natura sua suspectam Nissen quaestt. p 123 optime demonstravit a Polybio non sine iusta causa praetermissam, ab adversariis autem Philippi, i. e. ab senatu Romano, fictam et apud auctores in Philippum infensos lectam et repetitam esse.

Praeterea duas illas narrationes comparanti multae aliae minoris momenti discrepantiae occurrunt, quas cum jam Friedersdorff omnes attulerit, hoc loco missas faciamus. Livium autem ejusmodi res neque de suo fingere neque aliis ex fontibus haurire Polybianaque cum narratione conjungere esse solitum Nissen evidenter evicit *). Jtaque haec pauca quae protulimus argumenta satis esse gravia videntur, cur Livium in libro XXX componendo non Polybium exscripsisse contendamus. Unde cum exploratum habeamus, Livium omnia quae ad res a Scipione in Africa gestas pertinent, ex uno eodemque hausisse fonte, facile apparet, eum ne ea quidem, quae in libro XXIX. de rebus Africis traduntur, uni Polybio debere auctori. — Recte igitur qui ab illis Nissenii de genere scribendi Liviano judiciis profectus duas illas narrationes inter se comparaverit, omnes illos errasse intelleget, qui fallaci rerum verborumque similitudine decepti Livium jam a primis III decadis libris ad Polybium auctorem sese applicuisse putarunt et qui ea opinione capti quasi eadem ratio, quae in libris XXI et XXII Livio cum Polybio intercedat, in ceteris quoque eiusdem decadis libris inveniatur, contendere ausi sunt, Livium per totam decadem III a Polybio pendere.

Quod attinet ad alteram eius opinionis quam Nissen et Friedersdorff professi sunt partem, facere non possum, quin a viris doctissimis dissentiam; condendunt enim illi: communi fonte utrumque scriptorem pro suo quemque scribendi genere usum esse. Etenim lectitanti mihi Livianas rerum Scipionis narrationes comparantique cum Polybii quae restant fragmentis (l. XIV et XV) nullo modo persuaderi potuit, recte sententiam illorum se habere: praesertim cum inter veteres Romanorum historicos ne unus quidem tanta omnium rerum et Romanarum et Punicarum et Numidicarum, deinde

*) Nissen cum aliis locis tum maxime cap. II. —.

historicarum vel geographicarum vel militarium cognitione instructus fuerit, ut res a Scipione in Africa gestas tam copiose ac dilucide conscribere posset. Praeterea vidi, neque Nissenium neque Friedersdorffium neque alios invenisse ullum auctorem, ex quo et Polybii et Livii narrationes Scipionis rerum ducendae sint et quem duo illi scriptores ita exscripserint, ut per longas partes ad verbum consentiant.

Neque Polybianam relationem non esse multo copiosiorem Liviana nos fugiet; unde si communem esse fontem credimus, Polybium non amplificasse suum fontem, sed paucis mutatis mutandis paene ad verbum Graece expressisse pateret. Quod non fuisse Polybianum scribendi genus pro certo ponendum mihi videtur, cum ipse Polybius (in l. X, cap. 10) profiteatur se Laelii, quo familiariter eum usum esse constat, narrationes adhibuisse (Pol. X, 3[2]); cum ipse Polybius (IX, 25) Massinissa teste nitatur; cum ipsas regiones urbesque Africae visere non neglexerit (cfr. Pol. X, 11[4] et Plin. nat. hist. VIII,* 18); cum Polybium cognosse Silenum, Sosylum, Chaeream, scriptores illos Hannibalis rerum gestarum, ex ipso Polybio (III, 20[5]) discamus ac multa certaque Punicorum auctorum vestigia in Polybiano opere exstent. — Itaque

*) Nissen, de pace anno 201 Carthaginiensibus data, progr. Marb. p. 1, de Livii auctore haec dicit: »eum (i. e. auctorem) fuisse Romanum et Scipionis partibus favisse et res gestas optime cognitas habuisse«; et pag. 3: »auctor ille non ita pauca Graecae eruditionis indicia prae se fert«. — Similiter judicat Friedersdorff, pag. 70, ubi dicit: »Livii auctorem fuisse Latinum, omnibusque rebus tam bene exstructum, qui aut ipse in castris Scipionis fuisse aut eorum qui in his castris fuerint narrationibus usus esse videatur.« Quae omnia fere illorum hominum doctorum judicia optime in solum Polybium quadrant, praeterquam quod uterque auctorem fuisse Romanum putat. Argumentorum autem, quibus nixus nuperrime Keller Calpurnium Pisonem esse illum communem auctorem probare studuit, certe pleraque mihi quidem fluxa et infirma videntur; nam Calpurnium Pisonem jam temporum ratio vix esse sinit Polybii fontem, cum Polybius, qui major natu Calpurnio (Polybius erat natus c. a. 205 a. Chr. Calpurnius c. a. 179 a. Chr.; cfr. Peter, hist. Rom. rel., pag. CLXXXVIIII, adnot. prima) sine dubio jam ante C. Gracchum diem obiit supremum, certe eas operis partes, in quibus de rebus Scipionis agitur, jam circa annum 133 a. Chr. conscripsisset, quo anno Calpurnius Piso consul factus est (cfr. H. Peter, hist. Rom. rel. l. c.); Calpurnium autem non juvenem, sed, ut viri illis temporibus, aetate jam provectiorem magnum annalium opus in vulgus edidisse non minus probabile est, quam Polybium, cui sine dubio iidem fontes ac Calpurnio vel potiores praesto erant, tam pravam aequalis Pisonis compilationem — nam talis, si Kellero credimus, etiam Polybiana narratio est — paene ad verbum exscripsisse incredibile est. — Livius autem Pisonis annalibus usus esse eam ob caussam vix credi potest, quia Calpurnius res Scipionis non tam copiose persecutus esse potest, cum Piso quaecunque Livianis libris I—VI continentur, in septem libris tradidisset (cfr. H. Peter, l. c. pag. 118—136); Calpurnium autem uno in libro narrasse quae Livianis sex libris contineantur, quam minime verisimile videtur.

solus Polybius res Scipionis tanta omnium rerum cognitione componere potuit, quae apud eum ipsum (XIV et XV) et apud Livium (l. XXIX et XXX) occurrit. Iam paucas quasdam res hoc loco in medium a nobis proferri opus est, e quibus Livii auctorem omnium rerum peritissimum fuisse appareat.

Optime auctor Livii (lib. XXIX, cap. 29[6]—33) Massinissae res tractavit. Quae capita cum nominum multitudine abundent rerumque omnium accuratissima cognitione insignia sint, ipse Friedersdorff dubitat, sintne ex illo communi fonte desumpta. Recte enim ille observavit, illo excursu talia memoriae prodi, quae nisi qui ex ipso Massinissa audiisset, vix posset nosse; itaque mirandum non esse quod homines docti, praesertim cum Polybius ipse in lib. IX, cap. 25 Massinissa teste niteretur, e Polybio illam digressionem a Livio esse ductam statuere non dubitaverint*).

Nimirum Livii auctor accuratissime nomina gestasque res regum, qui ante ipsum Massinissam in Numidia fuerint, exponit. Galam Massinissae patrem, Oesalcem patruum, Capussam patruelem, Mazaetulum non alienum sanguine regibus, Lacumazem puerum nuncupat; nec Bucarem illa tempestate Maurorum regem fuisse ei ignotum est.

Praeterea in urbium locorumque nominibus Numidiae afferendis multus est: nominantur urbes Thapsus, Clupea, Cirta, Hippo, Punica Emporia, aliae; atque depingitur ita multorum locorum natura, at oculis subjecta esse videantur: montem — Bellum ab incolis eum vocari — fuisse herbidum aquosumque e cap. 31 discimus; Massinissam in valle arta faucibus utrimque obsessis inclusum inde per anfractus montis ignotos sequentibus se eripuisse, eundem patentibus prope Clupeam urbem campis circumventum in amnem ingentem immisisse equum cap. 32, tandem ad minorem Syrtim pervenisse cap. 33 docemur.

Praecipue vero de rebus Numidicis auctor certiores nos facit. Accipimus cap. 23, Numidas ante omnes barbaros in Venerem fuisse effusos**); apparet e cap. 29, morem fuisse apud Numidas, ut regnum rege mortuo ad fratrem perveniret; auctor in cap. 31 Numidicam vocem »mappalia« affert, quae Latine tentoria dicuntur; idem pecora Numidis fuisse pecuniae loco cap. 31 indicat; neque ignorat, Numidas longe primum equitum in Africa esse genus (cap. 34). — Iam vero inter Romanos annalium scriptores ante Polybium qui florebant quis erat qui res Massinissae Numidarumque tam copiose et accurate explicaret?

Adde quod auctor Livii res in Scipionis castris aeque atque in hostium

*) Friedersdorff, l. c. pag. 40.

**) cf. Liv. lib. XXX, cap. 12: ut est genus Numidarum in Venerem praeceps.

factas pernovit; neque enim eum fugit, qua calliditate usus Scipio nuntios a Syphace allatos celarit (l. XXIX, cap. 24), nec non consilia Hasdrubalis Carthaginiensiumque cognita habet, praecipue cap. 23, ubi ab Hasdrubale commemorari testatur, etiam Scipioni cum Syphace foedus esse. Praeterea Carthaginienses per literas nuntiosque, postremo etiam per legatos arcessivisse Hasdrubalem Syphacemque in cap. 34 traditur. Accedit quod cap. 34[6] Salaeca quaedam Afrorum urbs nominatur, quindecim ferme milia ab Romanis castris distans, de qua ne nos quidem aliquid compertum habemus. De promunturio illo ad Uticam, in quo Scipionis castra hiberna munita erant, cap. 35 diligenter scribitur; tumuli super Uticam siti apud Livium lib. XXX, cap. 4 mentio fit; pugna »in Magnis — ita vocant — campis« cap. 7 narratur; Obba urbs eodem loco affertur. Quae sententiae consiliaque duabus acceptis cladibus senatum Carthaginiensium distinuerint auctor cap. 7 et 9 nos docet. Tunetis situs Carthaginis ipsius respectu habito ita cap. 9 illustratur, ut ipsam urbem oculis conspicere nobis videamur; nonne ipsius Polybii verba ante oculos nos habere putamus, cum haec apud Livium legimus:

| Liv. XXX, 9[11]. | Polyb. XIV, 10[5]. |
| --- | --- |
| Tunes abest a Carthagine quindecim milia ferme passuum, locus cum operibus tum suapte natura tutus et qui ab Carthagine conspici potest. | Ὁ δὲ Τύνης ἀπέχει μὲν τῆς Καρχηδόνος ὡς ἑκατὸν εἴκοσι σταδίους, ἔστι δὲ σύνοπτος σχεδὸν ἐκ ὅλης τῆς πόλεως, διαφέρει δ' ὀχυρότητι καὶ φυσικῇ καὶ χειροποιήτῳ. |

Quae nemo nisi qui ipse et Carthaginem et Tunetem viserat atque suis ipsius oculis illam a Carthagine conspexerat, poterat scribere. Portus — Rusucmona Afri vocabant — ceteroqui prorsus ignotus cap. 10 commemoratur; Cirtam caput regni Syphacis ejusque arcem auctor Livi cap. 12 haud ignorat. Quae cap. 16 de sanctiore illo triginta hominum concilio, cui maxima ad ipsum Carthaginiensium senatum regendum vis erat, traduntur, quam maxime memorabilia sunt*). Jnsulae Aegimuri situs in ipso urbis portu et Calidae Aquae cap. 24 ita describuntur, ut auctor satis illorum locorum fuisse sciens facile cognoscatur; flumen Bagradas cap. 25, Hadrumetum urbs cap. 29 commemoratur. Zamam quinque dierum iter a Carthagine abesse e capite 29[2] discimus; Scipionem haud procul Naragara urbe consedisse loco cum ceteroqui opportuno, tum quod aquatio intra teli conjectum erat ex eodem capite intellegimus; ibidem Hannibal tumulum quatuor milia inde distantem tutum commodumque alioqui, nisi quod longinquae aquationis esset, in quo castra poneret, refertur.

*) cf. Nissen, l. c. pag. 165. —

Sed quantopere Livii auctor differat a Romanorum annalium scriptoribus*), satis intelleges, si pugnam apud Zamam commissam comparaveris cum Liviana descriptione proelii (XXX, 18), quo Mago victus est. Polybius solus, qui rei militaris erat peritissimus, et ipsam pugnam ad Zamam commissam tam dilucide exponere et de Hannibalis imperatoriis virtutibus ac de acie egregie ab Hannibale instructa tale judicium ferre potuit (Polyb. XV, 11; Liv. XXX, 35), cum Massinissae, Laelii aliorumque Scipionum narrationibus uteretur.

Contra ea quis inter Romanos historicos est qui quidem ante Polybium scripserunt, cui omnes res praesidiaque doctrinae ita praesto fuerint, ut Scipionis res gestas tanta cum aliarum rerum tum geographicarum militariumque cognitione conscriberet, ut Polybio ipsi raro occasionem amplificandi mutandique narrationes reliquam faceret? —

Considerans omnia a vero aberrare mihi non videor, si statuo:

Livium cum alias posteriorum decadis III librorum partes, quae cum Polybio consentiunt, tum maxime res in Africa gestas non ex communi quodam sibi cum Polybio fonte hausisse, sed ex Romano quodam auctore, qui quidem ipse Polybium secutus esset ducem.

Sed Nissen, Friedersdorff aliique, qui utrumque scriptorem ex eodem hausisse fonte putant, hanc setentiam cum aliis tum hisce inprimis argumentis confirmari contenderunt:

Primo eum esse Polybii et Livii concentum, ut ab omni verisimilitudine abhorreret, tam fideliter Polybium a Livio versum esse, qui ceteroqui satis leviter ac perfunctorie Polybii orationem interpretatus esset;

deinde in Liviano sermone nil reperiri, quod ex Graeco fonte verba esse conversa demonstret, nullas voces aut sententias Graecas aut ex Graeco sermone conversas, quales in partibus Polybianis decad. IV et V atque in iis quoque decadis tertiae locis, quos e Polybio esse desumptos putant, nunquam soleant desse (cfr. Nissen. quaestion., p. 74—76. Friedersd., p. 40—41 aliisque locis);

tertio in iis ipsis partibus, quae cum Polybio consentirent, nonnulla occurrere, quae Polybius aut aliter traderet aut non haberet (cf. Niss. l. c. 85. Friedersd. l. c.). —

Verumtamen primo argumento nil aliud probatur, quam Livium non ipsum narrationes e Polybio traxisse; quod cum nos Polybianum sermonem ab alio quodam auctore Latine expressum esse contendamus, qui quin diligentius sollertiusque Livio

*) De ratione qua annalium scriptores pugnas referre solent, cfr. Nissen, quaest., pag. 93—94.

interpretis munere functus sit dubitari non potest, ad illorum opinionem muniendam ne minimam quidem habet vim.

Jam vero ad alterum accedamus. Ac primum quidem moneo, sententias illas Graecas elocutionesque e partibus Polybianis dec. III—V a Nissenio (p. 74—76) erutas ne in libro XXX quidem deesse, quamquam multo rarius occurrunt, atque demonstare mihi posse videor, nonnulla in Livii sermone reperiri, unde Graecus aliquis scriptor redoleat, qui quin Polybius sit non est quod dubites. Quid quod Nissen ipse (de pace p. 3) fatetur, auctorem Livii cum alia Graecae eruditionis indicia prae se ferre, tum pecuniam Graeca non Romana ratione computare**? Rationem autem talentorum in dec. IV et V nusquam nisi in Polybianis partibus occurrere idem vir doctissimus (quaest. p. 108) nos docuit. Fabium Pictorem quidem pecuniam non Romana sed Graeca ratione computasse e decade I lib. I, cap. 53 et 55 discimus eumque secutus Livius talentorum rationem in nonnullis quoque decadis III librorum locis (lib. XXI, 61. lib. XXII, 31. lib. XXIII, 13 et 32) adhibuisse videtur, in quibus Livium usum esse Fabio fonte verisimile est (cfr. Peter, H. R. rel. p. LXXXXI sequ.). Jn posteriores autem hujus decadis libros XXIX XXX verbum »talentum« nisi ex Graeco fonte, sc. e Polybio vix transierit.

Verbum »machina« quater positum a Livio (XXIX, 35. XXX, 4. 8. 10.) ex Polybiano »μηχανή« (Pol. XIV, 2) translatum est.

Graecum exitum in accusativo sing. habet nomen portus »Rusucmon«: in Livii libro XXX, 10[9] »Rusucmona Afri vocant«; neque aliter se habet de nomine urbis Tunetis, quod exstat apud Livium in l. XXX, 9; 10; 16; 36; reperimus autem in l. XXX, 9; 10; 16 Graecum exitum in accusativo singul. »Tyneta« Τύνητα (Pol. XIV, 10[4]), cum apud Livium XXX, 36 ex fonte Latino Latinum exitum »Tunetem« habeamus.

Graeca vox est harpago, graece ἁρπάγη (cfr. Liv. XXX, 10[16] »harpagones vocat miles«). Item de Graeco sermone desumptum est verbum storea (cfr. Liv. XXX, 3[9]), de Graeco »στορέω« derivatum. — Atque vero Polybiana verba saepissime de verbo ad verbum a Livii auctore Latine reddita esse satis his paucis probatur, quae exempli loco subjicimus;

| | |
|---|---|
| Polyb. XIV, 7. | Liv. XXX, 8[3]. |
| ἐπὶ τὰ Μεγάλα πεδία καλούμενα καταβάς, κτλ. | in magnos ita vocant — campos degressus est. |
| XIV, 8. | XXX, 8[1]. |
| δύο δὲ τὰς κατὰ πόδας ἡμέρας. | per insequens biduum. |

**) Tribus in locis, quibus Scipionis res scribit, Livius pecuniam talentis computavit, XXIX, cap. 4, XXX, cap. 16 et 37; quae in lib. XXIX, 3[6]—5 exposita sunt ex eodem fonte derivata esse, e quo Livius expeditionem Africanam sumpsit, jam Fried. pag. 32 satis comprobavit.

XIV, 8.

τετάρτῃ (sc. ἡμέρᾳ) κατὰ πρόθεσιν ἐξῆγον ἀμφότεροι.

XXX, 8.

quarto die in aciem utrimque descensum est.

XIV, 10.

πρὸς δὲ ναυμαχίαν ἥκιστα παρεσκευασμένας.

XXX, 10.

ac minime navali proelio aptae.

Polyb. XIV, 8[5].

Ὁ μὲν οὖν Πόπλιος ἁπλῶς κατὰ τὸ παρ' αὐτοῖς ἔθος ἔθηκε πρῶτον μὲν τὰς τῶν ἀστάτων σημαίας, ἐπὶ δὲ ταύταις τὰς τῶν πριγκίπων, τελευταίας δ' ἐπέστησε κατόπιν τὰς τῶν τριαρίων· τῶν δ' ἱππέων τοὺς μὲν Ἰταλικοὺς ἐπὶ τὸ δεξιὸν ἔθηκε, τοὺς δὲ Νομάδας καὶ Μασσανάσσην ἐπὶ τὸ λαιόν. Οἱ δὲ περὶ τὸν Σόφακα καὶ τὸν Ἀσδρούβαν τοὺς μὲν Κελτίβηρας μέσους ἔταξαν ἀντίους ταῖς τῶν Ῥωμαίων σπείραις, τοὺς δὲ Νομάδας ἐξ εὐωνύμου, τοὺς δὲ Καρχηδονίους ἐκ τῶν δεξιῶν. ἅμα δὲ τῷ γενέσθαι τὴν πρώτην ἔφοδον εὐθέως οἱ Νομάδες ἐνέκλιναν τοὺς Ἰταλικοὺς ἱππεῖς, οἵ τε Καρχηδόνιοι τοὺς περὶ τὸν Μασσανάσσην, ἅτε πλεονάκις ἤδη προηττημένοι ταῖς ψυχαῖς.

Liv. XXX, 8[5].

Romanos principes post hastatorum prima signa in subsidiis triarios constituit; equitatum Jtalicum ab dextro cornu, ab laevo Numidas Massinissamque opposuit. Syphax Hasdrubalque Numidis adversus Jtalicum equitatum, equitatu Carthaginiensium contra Massinissam locatis, Celtiberos in mediam aciem in adversa signa accepere. Jta instructi concurrunt. Primo impetu simul utraque cornua et Numidae et Carthaginienses pulsi; nam neque Numidae Romanum equitatum neque Carthaginienses et ipse novus miles Massinissam recenti super cetera victoria terribilem sustinuere.

Interpres sermonis Polybiani compluries sensum verbi »εὐθέως« falso per »simul« expressit; cfr. hoc loco: τὴν πρώτην ἔφοδον εὐθέως primo impetu simul. — Neque aliter judicandum est de hoc loco:

Polyb. XIV, 10

Οἱ μὲν εἰς τὴν Ἰταλίαν μέλλοντες πλεῖν εὐθέως.

Liv. XXX, 9.

Simul et legati in Jtaliam profecti, cet.

Rectam esse hanc sententiam, quam de fontibus rerum Scipionis exhibuimus, concedet quicunque quae apud Livium XXX, 4 et Polybium XIV, 2 leguntur, comparaverit:

Polyb. XIV, 2[2].

Τὰς μὲν νῆας καθεῖλκε καὶ μηχανὰς κατεσκεύαζε ταύταις ὡς πολιορκήσων ἐκ θαλάττης τὴν Ἰτύκην, τοῖς δὲ πεζοῖς οὖσιν ὡς δισχιλίοις κατελάβετο πάλιν τὸν ὑπὲρ τὴν πόλιν κείμενον λόφον.

Liv. XXX, 4.

Deductisque navibus machinas tormentaque velut a mari adgressurus Uticam imponit et MM militum ad capiendum quem antea tenuerat tumulum super Uticam mittit.

Graecus quidem scriptor optime particulam »ὡς« cum participio futuri temporis construit, ita videlicet ut id quod quis agere sibi proposuerit indicet, Latini vero particulas »velut» ita non solent uti, unde apparet, illum auctorem qui Polybianum sermonem Latine verterit, verba Polybiana »ὡς πολιορκήσων« κτλ. Latine reddendo »velut a mari adgressurus Uticam« magis ad consuetudinem Graecae quam Latinae linguae sese applicuisse.— Eadem ratio, quam in his quos attulimus locis inter Polybianum et Livianum sermonem intercedere vidimus, etiam in sequentibus verbis obvia fit.

| Polyb. XV, 5[14]. | Liv. XXX, 29. |
| --- | --- |
| Πόπλιος παραγενηθεὶς πρὸς πόλιν Ναραγάρα κατεστρατοπέδευσε πρός τε τὰ ἄλλα τόπον εὐφυῆ καταλαβόμενος καὶ τὴν ὑδρείαν ἐντὸς βέλους ποιησάμενος. | Scipio haud procul Naragara urbe cum ad cetera loco opportuno tum quod aquatio intra teli conjectum erat, consedit. |

Sermonis Graeci indolem praebent verba: »ἐντὸς βέλους« (cfr. Homeri ἔξω βέλους, ἐντὸς βέλους γενέσθαι), quod apud Livium redditum est per verba »intra teli conjectum«. Similes sermones tribus aliis decadis tertiae locis reperimus, primum Liv. XXVI, 40[10]: »ad ictum teli«, deinde XXVIII, 30[8]: »sub ictu teli«, denique XXIX,7[6]: »ab ictu teli«. Quae omnes fere partes propter consensum ad Polybium auctorem spectant: (de Livii libro XXVI, 40[10] cfr. Friedersdorffium: »das XXVI. Buch des Livius«, in progr. Marienb., pag. 22 infra; de Livii libro XXVIII, 30 cfr. Friedersdorff., »Livius et Polybius«, pag. 26 infra.) — Neque errare nobis videmur, si pro certo ponimus, Latinam elocutionem »intra teli conjectum« similesque quas annotavimus e Graeco sermone, scilicet e Polybio in Livianam orationem fluxisse.

Summi autem momenti est quod etiam versus Homericus*), quem Polybius laudat, etiamsi non ad verbum, tamen ad sensum in Liviano argumento Latine redditus est:

| Polyb. XV, 12[9]. | Liv. XXX, 34[1]. |
| --- | --- |
| — — — — οὐδ' ἴα γῆρυς, ἄλλη δ' ἄλλων γλῶσσα, πολύκλητοι δ' ἔσαν ἄνδρες. | dissonae illis ut gentium multarum discrepantibus linguis voces. |

Polybium narrationibus versus e claris Graecorum poetis sumptos inseruisse cum ex aliis operis partibus patet, tum maxime his ipsis partibus (l. XV. cap. 12. cap. 16.) probatur. Quis igitur est, qui serio contendat, illum versum jam in communi illo fonte lectum atque ab utroque scriptore ex illo esse repetitum?—

Denique de descriptione pugnae ad Zamam factae paucis absolvam. Duo enim scriptores eodem fere ordine res quomodo gestae sint narrant. Attamen haud difficile est intellectu, singula quaedam ab interprete, qui rerum militarium inscius fuisse

*) Ilias, lib. IX, vers. 438. —

videtur, quam maxime esse confusa. Qui quomodo seu contrahendo seu falso interpretando Polybianam pugnae Zamensis descriptionem in pejus mutarit ut agnoscatur pauca mihi sufficere videntur.

Polybius (cap. 12) primum impetum ab Hannibale per elephantos factum esse autumat. Porro narrat, elephantorum cum tubae cornuaque canerent alios resilientes in Numidas isse, alios in Romanorum velites, qui inter antesignanorum ordines locati erant, ingressos multa quidem mala ipsos esse perpessos, tamen magnum quoque detrimentum in hostes edidisse; donec alii per intervalla expulsi, alii dextram partem versus perfugientes indeque in locum extra exercitum situm expulsi una cum Laelio Carthaginiensium equites in fugam verterunt.

Quam descriptionem tam dilucidam interpres ille Polybii hoc modo reddidit:

Ille enim, cum ut Romanus a Romanis signum esse datum tradidisset, primum impetum ab Hannibale per elephantos factum esse ut silentio praeteriret ipsa rei natura coactus erat. Qui nihilo tamen secius postea cum elephantos in pugna describenda praetermittere nequiret, alias aeque ac Polybius (c. 12) cum Romanorum tubae cornuaque cecinissent in suos, Mauros ac Numidas, se vertentes fecit, nullo verbo addito bestias jam antea ex Hannibalis jussu in Romanos esse progressas; alios in hostem actos inter velitum ordines cum multis suis vulneribus ingentem edidisse stragem scripsit, cum ab velitibus, qui via elephantis facta ut Scipio jusserat, nullum detrimentum cepissent, ex acie Romana exacti ipsos Carthaginiensium equites in dextro cornu una cum Laelio in fugam vertissent. — Qui factum sit, ut tantopere duo, illi scriptores inter se dissideant, plane cognosces, si hos duos locos mecum comparaveris:

| Pol. XV, c. 12. | Liv. XXX, c. 33. |
| --- | --- |
| τὰ δὲ λοιπὰ, συμπεσόντα τοῖς τῶν Ῥωμαίων γροσφομάχοις ἐν τῷ μεταξὺ χωρίῳ τῶν παρατάξεων, πολλὰ μὲν ἔπασχε κακά, πολλὰ δ'ἐποίει ὑπεναντίους. | pauca tamen intrepidae bestiarum in hostem actae inter velitum ordines cum multis suis vulneribus ingentem stragem edebant. |

Manitesto interpres illud Polybii „πολλὰ δ' ἐποίει ὑπεναντίους" — id quod sine dubio ad Romanos spectat *) — falso in Carthaginienses translatum Latine reddidit per verba: »in hostem — — ingentem stragem edebant.« Quo errore inductus ille quoniam neque Livii neque alius cujusquam, ni fallor, Romani scriptoris sit, Romanis nomen hostium imponere, totam rem illa ratione confudit.

Quae hactenus, cum haud pauca vestigia indagaverimus indubia, quibus sententia nostra Livianam narrationem rerum a Scipione majore in Africa gestarum e

*) Polybius, cap. 12 compluries ὑπεναντίους intellexit Romanos.

Graeco fonte, scilicet e Polybio originem ducere nititur, cumque plura hoc loco recensere non argumentorum sed spatii his quaestionibus concessi inopia nobis desistendum sit. —

Gravioris momenti videtur tertium Nissenii argumentum, quod supra paucis verbis exposuimus; dicit enim vir ille sagacissimus, Livio nullam prorsus causam fuisse, cur Polybianam relationem annalibus mutaret aut amplificaret, praesertim cum hac ratione non solum non corrigeret suum fontem, sed etiam depravaret.

Tantum abest ut in universum aliter de Liviano scribendi genere sentiamus, ut nos ipsi confisi illis Nissenii argumentis Livium ipsum memoriam rerum a Scipione majore in Africa gestarum minime e Polybio repetisse supra statuerimus. Cum enim Nissenii quaestionibus compertam habeamus rationem, qua Livius in decadibus IV et V fontibus suis usus sit ac Polybianam orationem Latine reddiderit, cumque eam prorsus alienam esse cognoverimus ab ea ratione quam inter Polybium et Livium in rebus Scipionis narrandis intercedentem vidimus, optimo jure secuti sumus illam sententiam, scilicet Livium ipsum in expeditione Africa conscribenda Polybiano opere non usum esse. In eo autem Nissenius longius progressus esse videtur, quod statuit, omnes antiquos composuisse libros suos eadem ratione, qua Livius in decadibus IV et V; unde apparere utrumque scriptorem ex eodem hausisse fonte (cfr. Nissen, de pace 201, p. 1). — Quamquam in universum haec recte disputata videntur, minime tamen mihi persuasit antiquos ad unum omnes scriptores composuisse libros suos illa ratione. — Ac primum quidem aliam Polybii fuisse rationem a Nissenio conceditur in quaest., p. 85, ubi viam ac rationem demonstravit, quae ei, qui in fontes a Livio in III decade scribenda usurpatos inquireret, esset insistenda: »Polybius orationem communis illius auctoris a corruptelarum sordibus judicando purgatam ac secundum rationes criticas correctam tradit: quibus in partibus Polybius et Livius inter sese discrepant, in omnibus cur Polybius mutarit cognosci potest.«

Primo vero cum ea, quae Polybius et Livius de rebus a Scipione in Africa gestis memoriae prodiderunt, inter se compararem, intellegere interdum nequibam, cur Polybius suum fontem correxisset aut quasdam res a Livio allatas silentio praetermisisset. Nam ut unum exemplum afferam, me omnino non intellegere fateor, quidnam causae Polybio fuerit, cur indutiarum leges a Livio commemoratas omitteret.

Deinde omnibus discrepantiis compositis comparatisque non difficile factu esse nobis visum est probare, illum auctorem, e quo Polybii narrationes in Livii libros XXIX et XXX transiisse viderentur, Polybium omnino non corrupisse ita, ut praeter eum alium auctorem eumque Romanum in usum suum converteret, sed modo amplificasse narrationes Polybii, modo correxisse, interdum ad res Romanas aptasse aut verba formasque sic immutasse, ut natura legesque sermonis Latini poscerent. —

Adde haud paucas discrepantias et posse et vere videri ita ortas esse, ut interpres ille sensum verborum Graecorum non satis interdum assequeretur aut interpretatio Latina ei minus succederet.

Itaque cum in Liviana narratione certa Polybii auctoris vestigia indagaverimus, haud quaquam illa argumenta nobis esse videntur firma adminicula, quibus nixi communem esse fontem statuamus, sed quaerendus nobis videtur scriptor aliquis, cujus scribendi ratio non aliena fuerit a Polybiana et qui similibus ac Polybius vitae studiorumque conditionibus usus sit. Examinandum sane erit, qua ratione ille auctor Polybianam orationem Latine expresserit et aliis cum fontibus conjunxerit; aliam ejus rationem fuisse ac Livii in decadibus IV et V componendis haud ignorabit quicunque qua ratione Livius libros decadum IV et V composuerit Nissenii quaestionibus compertum habuerit. Sed priusquam de ratione ipsa qua ille Livii auctor Polybiano opere usus sit, plura dicamus, quaerendum nobis visum est, quisnam fuerit auctor, quod nomen habuerit, quibus ex fontibus hauserit. Quae si eruere contigerit, huic quaestioni haud parvo adjumento erunt.

# Pars III.

Omnium qui adhuc de fontibus, quibus Livius in rebus Scipionis tradendis usus sit, scripserunt, solus Nitzsch ad cogitationem ductus esse nobis videtur, eas posteriorum decadis tertiae librorum partes, quae e Polybio originem ducere viderentur, res potissimum eas quae in Africa gestae essent, per Latinum auctorem qui e Polybio hausisset, in Livianum opus transiisse. Quae recte disputasse Nitzsch nobis videtur. Sed Peter (hist. R. rel., pag. CCCXIII), qui in ea sententia perseverat, ut in quibus rebus Livius et Polybius concinant, eas a Livio ex ipso Polybio versas esse censeat, eam quam ingressus esset Nitzsch viam esse ambages indicavit, ad quas vir ille doctissimus recto itinere spreto confugisset animo praeoccupatus sententia eorum, qui in illis libris Polybium Livio in fontibus fuisse negassent, cum quaedam ita apud Livium comparata esse intellexisset, ut non possent fluxisse e Polybio. Sed prorsus nos fugit, quo jure illam Nitzschii viam esse ambages contendi possit. Nos quidem cum neque Peter Livium hausisse ex ipso Polybio nobis persuaserit neque Nissenii Friedersdorffii aliorumque sententiae, scilicet utrumque scriptorem eodem fonte usum esse assentiri possimus, accurata comparatione instituta in universum ad eundem ac Nitzsch exitum adducti sumus. Recte autem nobis Peter Nitzschium reprehendere

videtur, quod conjecerit, illum Livii auctorem fuisse Valerium Antiatem, quem Polybii pragmatiam esse secutum Nitzsch dicit;*) quam sententiam eo confirmari putat, quod in nonnullis locis expeditionis in Africam capta signa recenseantur (Liv. XXX, 6; 35; 36.), quae afferre inter Romanos historicos unius Valerii moris fuerit; Coelium autem in altera decadis tertiae parte propter poëticos quos adhibuisset fontes a Livio sepositum Antiati cessisse; cujus opus Livium in rebus Scipionis conscribendis semper ante oculos habuisse ex eo apparere, quod Valerius in posterioribus decadis tertiae libris saepius Coelio citetur. Primum quod profert Nitzsch argumentum jam Friedersdorff et Peter**) infregerunt. Neque altera etiam quam N. profert sententia, scil. Coelium propter poëticos quos adhibuisset fontes a Livio sepositum Antiati cessisse probanda videtur; quamquam concedendum est, Coelium, quem sine dubio Livius XXIX, 25—28 sequitur, illud carmen solemnis precationis (XXIX, 27[2] [4]) de poëta aliquo deprompsisse, cum jam Friedersdorff (l. c, pag. 37—39) hunc locum poëtica quadam ratione esse conscriptum luculente demonstraverit, tamen cur Coelius a Livio abjectus Antiati cesserit nullam prorsus causam videmus. Quin etiam contendi potest, Livio Coelianum scribendi genus quam maxime placuisse, cum illum ipsum locum poëtica quadam ratione conscriptum tam integrum in opus suum receperit. Quo minoris momenti est tertium argumentum, quo nixus Nitzsch Livium usum esse Valerio confirmat. Nissen***) in universum probavit hanc sententiam, ex eo quod auctor aliquis a Livio citetur colligi non posse, Livium auctore tota illa narratione, in qua eum citet, fonte principali esse usum, sed Livium eas solas res ex eo quem citet auctore deprompsisse, quas ex eo hausisse ipse profiteatur.

Quae si ad Nitzschii sententiam refutandam non sufficere tibi videntur, ipsos libri XXX locos, quibus Livius nominatim affert Valerium, mecum inspicias. Hujus scriptoris nomen in libro XXX ter citatur, ac primum quidem in capite 3[6]. Hoc loco Antias tradidit, ipsum Syphacem in castra Scipionis ad colloquendum venisse; quod non verum esse Livius multis aliis auctoribus credidit. Deinde Liv. XXX, 19[11] Antias solus auctor est, Hannibalem in agro Crotoniensi esse victum; quo in proelio quinque milia Hannibalis militum caesa esse Valerius dicit. Quod a Valerio impudenter fictum esse cum Livius ipse hoc loco profitetur tum Polybius testimonio confirmat†), qui Hannibalem, dum in Italia moratus esset, nunquam proelio esse victum certiores nos facit. Tertio loco Liv. XXX, 29[6]) Antias tradidit, Hannibalem a Scipione victum proelio, in quo duodecim milia Hannibalis militum caesa essent, legatum cum aliis

*) Nitzsch, röm. Ann., pag. 17. 21.

**) Friedersd., p. 59; Peter, hist. R. rel., pag. CCCXIII.—

***) Niss. quaest. crit. pag. 34. 41. 42. 65. 145. 154. 200. 204. 255. aliisque locis.

†) Polyb., lib. III,

sequeretur et imitaretur, vehementer quaeritur, num Coelius statim ab initio cum opus suum componere coepisset, Polybianum opus inspexerit et hunc locum legerit. Huc accedit quod Polybius III, 47 non affert Sileni nomen, sed Sosylum solum Chaereamque nuncupat, id quod videtur fecisse propterea quod Silenum potiorem, illos deteriores scriptores censuerit. Quid autem est, quod Coelium coegerit, ut quae a Polybio de Sosylo Chaereaque dicta essent, etiam in Silenum referret? Nimirum omnes fere homines docti qui de Coelio scripserunt in eo conveniunt, quod Coelium in omnibus sui operis partibus quam maxime ad Silenum se applicuisse putant*), hac sententia nixi illo Ciceroniano loco (de divin. I, 24[49]): »Hoc item in Sileni, quem sequitur Coelius, Graeca historia est; is autem diligentissime res Hannibalis persecutus est.« Recte solus Meltzer ad hunc locum adnotavit (pag. 28), verba Ciceroniana »quem sequitur Coelius« non ad totum Coelii opus, sed ad solas eas narrationes, quas Cicero attulerit, respicere. Profectus ab illis, quae Meltzer de illo Ciceroniano loco cogitaverat, Friedersdorff**) aliis iisque certissimis testimoniis comprobavit, Coelium non semper Silenum esse secutum, sed in componendo opere complures fontes usurpasse. Addimus illis testimoniis a Friedersdorffio prolatis illum Livianum locum (lib. XXVII, 27, [11]), qui de Marcelli morte triplicem gestae rei ordinem a Coelio editum certiores nos facit, unam traditam fama, alteram scriptam laudatione filii, qui rei gestae interfuisset, tertiam quam ipse (Coelius) pro inquisita ac sibi comperta attulisset***). Quibus verbis haud exigua pro illis temporibus ei tribuitur diligentia, ut re per se spectata incredibile sit, clarissimos scriptores, qui ante eum bellum Hannibalis scripserunt, ei ignotos fuisse eumque in uno fonte exscribendo acquievisse.†) In ipsa quoque narratione de Marcelli morte apud Liv. l. XXVII, 27 multa cum Polybio X, 32 concinunt, alia discrepant. Porro autem quod attinet ad fidem Coelii historicam, discimus ex ipsis quibus Coelius in prooemio operis sui utitur verbis, se »ex scriptis eorum qui veri arbitrabantur«††) esse hausturum†††). Et haec quidem quae sibi proposuerat secutus Coelius primus abjecto scri-

*) cfr. Nitzsch., hist. Zeitschrift, ed. de Sybel, 1864, pag. 20-21. - Museum Rhen., XXIII, p. 603, sq.; Boettcher, quaest. crit. Similiter judicat H. Peter, hist. Rom. rel., p. XXXXIII de Coelii fontibus, et Bujack, de Sileno Hannib. scr. p. 5.

**) Friedersdorff, l. c., p. 55.

***) Livius l. XXVII, cap. 27, [11] .—.

†) Peter, hist. Rom. rel. pag. CCXXII.

††) De horum verborum sensu. cfr. Meltzer., p. 45. 46).

†††) Valerius Maximus I. 7[6] Coelio tribuit laudem, »certum eum historiae Romanae auctorem fuisse.«

bendi genere eorum Romanorum qui antea Hannibalis bellum scripserant, originis tamen suae Romanae non immemor Silenum scriptorem, qui ab Hannibalis parte stabat, ducem principalem elegit. Cum autem Coelius, ut erat Romanus, non semper Punicum fontem sequi posset, ipsa rei natura coactus erat, ut statim ab initio operis Silenum aliis iisque fontibus Romanis aut amplificaret aut corrigeret aut ad res Romanas aptaret. Neque quidquam veri nobis videtur similius, quam Coelium, qui Polybianum opus procedente suo opere cognitum legisset et quid pravi in Sileno esset intellexisset, Sileno magis magisque abjecto quam maxime in componendo opere Polybii auctoritate esse ductum. Jtaque cum fides cujuslibet scriptoris historica illis temporibus tota pendeat ab auctoribus, qui ab eo in usum vocati sunt, in aperto est, non de omnibus Coeliani operis partibus pari ratione esse judicandum; ut inique fecerunt ii, quibus Coelius per totum opus de Sileno pendere visus est. Haud quaquam igitur recte de Coelio ii judicarunt, qui in universum ex Coelianis fragmentis concluserunt, Coelium somniis miraculis aliisque illius generis rebus narrationes suas exornasse, non ita raro eum a proposito esse digressum, ut antiquitates aliaque narrationi suae immisceret, neque in rebus geographicis satis certum fuisse fontem; quin etiam res falsissimas atque homini sobrio vix credendas Coelium afferre esse ausum. Neque recte inde, quod harum rerum in quibus Livii partibus de rebus Scipionis agitur omnino nihil reperitur, collegerunt Coeliana scripta in illis non esse usurpata.

Denique autem Graecis literis eum satis doctum fuisse, ut Polybianum sermonem Latine vertere posset, etiamsi non aperte confirmaretur certe tamen et eo, quod Laelii aliorumque Scipionum qui Graecis literis docti essent consuetudine utebatur, et maxime eo, quod ex Sileni opere tamquam fonte hausit*), vel sine certis testimoniis ut statuamus cogimur. Quibus omnibus cognitis nobis comprobatum esse videtur, neque quidquid apud Livium e Coelio desumptum videtur ad Silenum esse referendum, neque illam sententiam certis esse nixam fundamentis, quae propter illum Polybianum locum (III, 47) Polybium non esse sinit Coelii fontem. Deinde autem hoc quoque demonstravimus, non solum nihil obstitisse quominus Polybius a Coelio in usum vocatus esse posset, sed etiam Coelium omnium rerum cognitione tam bene instructum fuisse, ut Polybianam narrationem in opus suum transferret aut certe transferre posset.

Ceterum quibus Coeliani operis virtutibus commotus Livius in bello Hannibalis enarrando Coelium potissimum in fontibus habuerit si cognoscere vis, ne obliviscaris velim et Coelium et Livium fuisse rhetores. Livium cum de bello Hannibalis scri-

* cfr.: Cicero de div. in l. I, 24. —

pturus esset, eorum qui antea scripserant auctorum potissimum talem qui res non solum quam luculentissime et accuratissime narrasset, sed praecipue elegantia ac vi sermonis omnes alios scriptores superasset, auctorem elegisse ducem statim ab initio patet; Livius enim rhetor erat aeque ac scriptor rerum atque sine dubio eadem ac Cicero opinione ducebatur, ut oratoris munus esse historiam ab oratoribus secundum rhetorum praecepta scribendam censeret. Nimirum Livius non minus quam Cicero, qui nimius Coelii laudator fuisse videtur, hujus virtutibus scribendi adeo alliciebatur, ut eum per totam decadem tertiam in primis haberet fontibus. Quanti autem Livius Coelianum opus aestimarit plane cognosces, si ipsos locos quibus Coelius auctor citatur inspexeris et inspectos comparaveris cum iis quibus Antias citatur auctor. Quamvis enim de more suo tum demum eum afferre soleat, cum ab eo recedit, nunquam tamen eum cum tanto fastidio quanto Valerium nominat, sed etiam ubi eum rejicit leniter atque honorifice de eo loquitur neque ullo loco eum vituperat; Antiati praeterquam quod nullo fere loco ejus narrationem sequitur saepissime exprobrat, quod historicis quae dicuntur testimoniis fidem non habuerit, quod nonnulla impudenter finxerit, quod nullum mentiendi modum noverit. Nec sine aliqua causa Livius historicam Coelii auctoritatem tanti aestimavit; nam minime spernendus et vel magni in suo genere faciendus est scriptor, qui licet somnia fabulas prodigia aliasque ejus generis narrationes operi suo inserere non respuerit tamen summum artis historicae praeceptum, fidem historicam, tanto studio amplexus est, ut sua sponte ac consilio falsa eum tradidisse credere non possimus. Quis igitur est qui dubitet, quin Livius Coelianum opus jam statim ab initio decadis tertiae adierit, praesertim cum hic auctor praeter eas quas diximus scribendi virtutes etiam aliis egregiis virtutibus insignis Livioque gratissimus esset? Auctor enim erat Latinus et quam antiquissimus, omnibus rebus pro illis temporibus bene instructus, ab hominibus illorum temporum doctis ut a Cicerone aliisque multum lectus laudatusque. Quem cum Livius per complures libros secutus sit sine gravibus causis seposuisse prorsus incredibile videtur. Jtaque in ea quae sequitur hujus quaestionis parte omnia Coelii auctoris indicia, quae in ipso Liviano opere exstant, erunt conquirenda ac summis viribus erit premenda haec sententia: Livium in rebus a Scipione majore in Africa gestis tradendis Coelium, Coelium in primis habuisse fontibus Polybium.

# Pars IV.

Disputatio igitur proficiscetur ab iis Livianae narrationis partibus, quibus Scipionis in Africam transitus descriptio continetur (Liv. XXIX, 25—28$^{10}$). Atque fontem quidem ex quo haec fluxerunt diversum esse ab eo, cui quae antecedunt capita (23 et 24) et quae sequntur (cap. 29 etc.) debentur facile cognoscitur. Quam diversitatem jam Friedersdorff diserte indicavit *); aliud i. e. multo explanatius est genus narrandi, alius est sermonis Latini color, nonnulla videmus repugnantia et iis quae antecedunt et iis quae sequuntur. Sed Friedersdorff ut cautionem adhibet in proferendo certi auctoris nomine satis se dixisse putat, hunc locum poetica quadam ratione esse conscriptum, quae unde orta sit parum constet. Habemus autem Coelii annalium fragmentum apud Nonium (p. 137), quod manifesto pertinet ad eum Coelianum locum, quem diserte indicavit Livius in l. XXIX, 27—28; id quod et ipsa rei natura et verborum similitudine confirmatur:

| Nonius, p. 137. | Livius XXIX, 27—28. |
|---|---|
| Omnes simul terram cum classi accedunt, navibus atque scaphis eggrediuntur, castra metati signa statuunt. | Eo classis decurrit copiaeque omnes in terram expositae sunt. Expositis copiis Romani castra in proximis tumulis metantur. |

Jtaque Livium in cap. 27—28 de Coelio pendere pro explorato habemus. Jnvenimus autem eo ipso loco Liviano (XXIX, 27 $^{10—15}$) aliud quoddam Coeliani operis fragmentum, ex quo discimus, »Coelium solum esse auctorem, milites Scipionis, ceteros omnes coelestes maritimosque terrores perpessos, postremo abreptam tempestate ab Africa classem ad insulam Aegimurum, inde aegre correctum esse cursum et prope obrutis navibus injussu imperatoris scaphis haud secus quam naufragos milites sine armis cum ingenti tumultu in terram evasisse«. Quae quantopere a Nonii verbis abludant quis est, quin intellegat? Accepimus enim morem fuisse apud Romanos, ut milites navibus appulsis jussu imperatoris omnes simul egrederentur; quod in naufragio fieri nequivisse, sed tum solum, si omnes simul naves terram accessissent, ex ipso intellegitur. Unde facile apparet, Coelium Scipionis in Africam trajectum naviumque accessum diversa ratione bis narrasse, cum primum classem tempestate diu jactatam quasi naufragam ad terram esse dejectam traderet, deinde autem

*) Friedersdorff, Liv. et Polyb., pag. 36—40. —

»permultis Graecis Latinisque auctoribus« adderet, navigationem prosperam fuisse et omnes simul sine tumultu cum classe terram subisse. Ut prima descriptio fortasse aliquo modo rem auxit, ita altera eam imminuit. Sed facile erit ad indicandum, Livium has duas narrationes apud Coelium lectas in unum contaminasse. Qui quamquam Coelianam trajectus descriptionem dicit rejiciendam, tamen eam praecipue secutus est; nam si quae Livius de navigatione narrat legeris, eadem fere, quae Coelium de terroribus ac periculis narrasse Livius dicit reperies, certe »prosperam fuisse navigationem« minime dices. Quam descriptionem opinor a Livio esse traditam eam ob causam, quod maxime ei placuit. Tum Livius, ut rem minueret, quam Coelius auxerat, ipsum navium accessum sine tumultu esse factum multis aliis auctoribus (jam a Coelio allatis) credidit eaque ratione rem narravit (Liv. XXIX, 27[12—13]). Facilius hoc mihi affirmanti credideris, si haec exempla mecum consideraveris:

Auctor est Livius in cap. 25 lib. XXIX, Scipionem gubernatoribus ut Emporia peterent edixisse; at idem Livius in cap. 27 ad promunturium Pulchrum in terram escensum esse autumat nulla causa addita, cur res exitum non habuerit.

Alterum exemplum idem locus praebet, quo Coelius abreptam tempestate ab Africa classem ad insulam Aegimurum aegre inde correxisse cursum tradit; quo autem cursum direxerit e cap. 25 patet, in quo Emporia ~~ten~~tendisse Scipionem Livius exponit. At mire discrepat Livius in cap. 27 ad promunturium Pulchrum classem appulisse narrans.

His tertium exemplum subjungam:

Eundem sine dubio Coelium secutus Livius in cap. 27 cursum non sine magnis periculis ac terroribus factum exponit; verumtamen cap. 27[4] Livius dicit, se Graecis Latinisque auctoribus credidisse, prosperam navigationem sine terrore fuisse.

Quibus ex fontibus autem Coelius has res repetierit si intellegere vis, reputes velim Coelium in fontibus habuisse Silenum. Quem imitatus vel secutus Coelius, cum ceteri prosperam sine terrore ac tumultu fuisse navigationem scripsissent, ut de Scipione similes quasdam miras res ac de Hannibalis Alpium transitu narraret, omnes coelestes maritimosque terrores ejus naves esse perpessas exposuerat, ita tamen, ut nulla navis mergeretur. Sed Coelius quo erat veri investigandi studio in uno fonte exscribendo non acquievit, sed alios de his rebus auctores in usum vocavit. Qui autem permulti illi et Graeci et Latini auctores fuerint, quamquam certum judicium de iis proferre admodum difficile est, tamen de Graecis non a vero me aberrare puto, si Coelium de illis rebus Polybianum opus inspexisse conicio; de Latinis autem Friedersdorff recte fortasse disseruit, cum de poeta aliquo Latino cogitaverit.

Neque minus dubito quin aliud Coelianum fragmentum, quod Livius XXIX, 25 [3—4] diserte indicavit, ad Silenum spectet: »Coelius, ut abstinet numero, ita ad immensum multitudinis speciem auget: volucres ad terram delapsas clamore militum ait atque tantam multitudinem conscendisse naves, ut nemo mortalium aut in Jtalia aut in Sicilia relinqui videretur.« Tamen Livius, quamvis hoc loco a Coelio esse recedendum dicat, in capite antecedente, quo de praeparationibus ad trajiciendum in Africam exercitum factis agitur, jam similia de multitudine Scipionis militum naviumque scripserat, quae ad ipsum Coelium pertinere videntur; dicit enim Livius XXIX, 24 [10]: »quidquid militum naviumque in Sicilia erat cum Lilybaeum convenisset, et nec urbs multitudinem hominum neque portus naves caperet«. — Livius igitur sine dubio in c. 24 Coelium ante oculos habuit, contra in c. 25 easdem res quas in c. 24 commemorare non respuerat esse rejiciendas scribit. Qui autem fieri potuerit, ut Coelius tantopere ad immensum multitudinis quacum Scipionem ad Africae oras appellentem fecit speciem augeret et in fabularum modum exornaret nos nullo alio modo intellegere fatemur, nisi de Sileno Coelii fonte cogitamus. Nam scriptori Romano cur copias ita ad immensum auxisset nulla prorsus causa fuit. — Ejus modi verba nos eo adducunt, ut opinemur, cum a tanta Romanorum multitudine Carthaginienses summis viribus resistentes facile fuisse vincendos, tum Romanos propter desertam Siciliam Jtaliamque maxime extenuatos. Quis igitur hanc opinionem divulgatam esse voluit, nisi Silenus, Hannibalis comes, admirator, laudator, qui sibi proposuerat Hannibalis cladem excusare? Jtaque illud fragmentum ad Silenum auctorem spectare et Coelium hunc locum a Sileno mutuantem aliquo modo dormitasse intellegimus, cum illud Sileni consilium non senserit. Jam pro explorato ponimus, quidquid Livius de Scipionis in Africam transitu memoriae prodidit ad Coelium, scil. Silenum fontem primarium esse referendum. Jn fines quibus hic fons apud Livium circumscriptus sit jam Friedersdorff inquisivit; qui satis se indicasse contendit, pertinere ad illum fontem Livii capita 25—28 usque ad verba »vigilatum est«, cum nonulla quae in his capitibus exstent, repugnent et iis quae antecedant et iis quae sequantur. Quam sententiam non laudamus; nam Coelii vestigia supra jam in capite antecedente 24 [10] scrutati sumus, neque de iis quae apud Livium in c. 28 [11] et 29 sequuntur eandem ac Friedersdorff sententiam sequi possumus. Dicit enim ille Livium in c. 28 a verbis »postero de M equites, etc.« ad illum quem communem esse fontem dicit redire, quia illa res prorsus repugnet iis quae Livius in c. 28 [1], etc. tradat; nam cum in c. 27 [13] narratum sit Romanos in terram esse egressos omnes atque in c. 28 [1] in proximis tumulis eos castra esse metatos, Poenos autem conspectu exercitus territos (c. 28 [2]) portisque clausis (c. 28 [3]) impetum exspectasse—quem

non mirari, quod in c. 28 [10] earum rerum nil factum videatur«. Quibus e discrepantiis Friedersdorff colligit, in c. 28 [10] a verbis »postero die M equites« alium fontem incipere eundemque, quo Livius jam antea in rebus Scipionis in Hispania gestis usus sit, i. e. illum quem dicunt communem. Sed haud ignorantibus, quam facile vel optimo scriptori in aliqua re exornanda accidere possit, ut memoria deceptus sibi ipse obloquatur et quae narret cum iis quae antea exposuerit manifesto pugnent etiam magis persuasum erit, Coelium studio exornandi abductum fugisse, se inepte esse locutum, Carthaginienses haud ignorantes, Romanos jam esse egressos, M equites qui turbarent egredientes ex navibus misisse. Ut enim Livius hanc diversitatem neglegentia praetermisit, ita Coelius ut ad istas ineptias abiret induci potuit. Ceterum priusquam de fontium finibus certum judicium proferre possimus, ut quae Livius de primis rebus a Scipione in Africa gestis tradidit inspiciamus opus est. — Livius in c. 28 [10] auctor est, Carthaginienses misisse M equites speculatum ad mare turbandosque egredientes, quorum cum proelium cum Romanis commisissent, plerosque, in quibus praefectum quoque Hannonem, esse occisos; quo facto Scipionem non agros modo circa vastasse, sed urbem etiam proximam Afrorum satis opulentam cepisse praedamque in naves onerarias impositam in Siciliam misisse. Sed valde miramur, quod apud Livium paulo inferius (in c. 34) iterum legimus, Carthaginiensium M equites cum ipso duce Hannone ad urbem Afrorum nomine Salaecam interfectos, urbem Salaecam captam, agros circa vastatos magnamque praedam in naves impositam in Siciliam esse dimissam (Liv. XXIX, 35 [1—5]). Quas narrationes habere multas similitudines in aperto est; itaque etiam Livius in c. 35 in his rebus haerebat; verumtamen certum judicium proferre non conatus est. Copiosius de hac re nuperrime scripsit Keller*), cui cum in universum recte haec disputasse mihi videatur de summa rerum erit assentiendum, scil. has res non ab ipso Livio, sed ab ejus auctore esse duplicatas; aliam autem sententiam proponam de ipsa ratione, qua illam rem geminam, ut ita dicam, esse factam putem.

Mihi quidem haec rerum repetitio a Coelio facta esse videtur, qui cum Sileno Latinoque quodam auctore trajectum Scipionis naviumque accessum descripsisset atque Romanos proximis in tumulis castra esse metatos narrasset nonnullis de terrore Carthaginiensium additis porro Silenum secutus Carthaginienses misisse M equites speculatum ad mare tradidit, deinde cum res ipso bello gestas enarrandas adiret ad priorem fontem, e quo jam antea res a Scipione in Hispania gestas hauserat,

*) Keller, bell. Pun. sec., pag. 97—100. —

rediit, i. e. ad Polybium; ex quo ea sola eum traxisse sumo, quae in cap. 28[11] leguntur. Tum Coelius postquam Polybianam de qua conjecturam protuli descriptionem hujus proelii legit, diversum id esse ratus ab eo quod apud Silenum invenisset, rursus ad hunc rediit ac primo Silenum auctorem secutus illud equestre proelium et quae sequuntur res, deinde digressione de Massinissae rebus in narrationem inserta iterum (Liv. XXIX, cap. 34) hoc proelium et quae sequuntur Polybio usus auctore decsripsit. Quod si cui minus probavero, is inspiciat velim cap. 34[3], quo loco Coelius, quem Livio auctorem fuisse pro certo habeo, ad priorem fontem dico Polybium, cui verba quae in cap. 28[11] leguntur »jam enim Scipio classe etc.« debet, iterum reversus eadem fere verba repetiit:

| Liv. XXIX, 28[11]. | Liv. XXIX, 34[3]. |
| --- | --- |
| Jam enim Scipio classe Uticam missa ipse haud ita multum progressus a mari tumulos proximos ceperat. | Ad Uticam tum castra Scipio ferme mille passus ab urbe habebat, tralata a mari, ubi paucos dies stativa conjuncta classi fuerant. |

Recte Keller*) disputasse mihi videtur, primum proelium ab altero auctore nimis minutum, alterum ab altero esse amplificatum exornatumque; in eo autem illum errasse contendo, quod illud a Fabio, hoc ab aliquo Scipionis scriptore factum esse disputavit. — Multo enim veri mihi videtur similius, Silenum Carthaginiensibus faventem rem quam maxime minuisse, Polybium Scipionibus quorum utebatur consuetudine faventem res a Scipione gestas magis quam par esset illustrasse vel amplificasse. Livius autem has res non diversis ex fontibus repetiit; quod cum per se patet, tum ex ipsis Livii verbis (XXIX, c. 35[2]) discimus: »duos eodem nomine Carthaginiensium duces duobus equestribus proeliis interfectos non omnes auctores sunt, veriti, credo, ne falleret bis relata eadem res. Coelius quidem et Valerius captum etiam Hannonem tradunt«. — Inde vero si quis conicere velit Coelium unum proelium, unum Hannonem eumque captum memorasse, is vereor ne nimis a vero aberret; nam hic locus optime ita intellegi potest, ut Coelium duorum quidem Hannonum mentionem fecisse, quorum unum occisum, alterum, de quo in c. 35 agitur, aut occisum aut captum esse tradidisse statuamus.

Profecti a Livii libro XXIX, 25 — 28, i. e. ab iis partibus quae de Coelio ducendae sine magnis difficultatibus cognoscuntur, nos satis plane probasse

*) Keller, l. c., pag. 99.—

credimus, quaecunque in c. 24 — 29 [4], c. 34 — 35 [5] de rebus Scipionis narrata sunt, quamvis inter se repugnent, a Livio deprompta esse ex uno fonte, scil. e Coelio, quem et Sileni et alicujus Latini auctoris et Polybii narrationes inter se conjunxisse statuimus; atque jam excursum de rebus Massinissae (Liv. XXIX, 29 [5] — 33), cum ex ipso Polybio Livium hausisse supra (pag. 19 — 20) negassemus, item per Coelium in Livianum opus transiisse conicimus. Itaque Livium, quidquid in libro XXIX de rebus Africis tradidit debere Coelio multis iisque gravibus causis allatis necessarie demonstravimus. Unde cum quaecunque in libris XXIX — XXX de rebus Africis narrata sunt ad unum eundemque fontem pertinere haud paucis argumentis confirmatum sit, facile apparet etiam eas libri XXX partes, quae cum Polybio concinant, per Coelium transiisse in Livianum opus. Habemus igitur in Livii l. XXIX, 24 — 35 ansam, unde proficisci possimus ad ceteras partes examinandas ac dijudicandas. Neque admodum difficile est, certa Coelii auctoris indicia etiam in omnibus fere libri XXX partibus investigare.

Jam inspiciamus librum XXX, ubi de rebus Scipionis in cap. 3 — 17, in cap. 24 [5] — 25 [11], in cap. 28 — 38 [5], in cap. 43 [10] — 45 agitur.

In hoc libro quaestio nostra orietur a capitibus 12 — 15, quibus Sophonibae fortuna continetur. Quae res cum a capite 11 fragmentis Polybianis destituantur num e Polybio fluxerint haud facile est judicare. Ac primum quidem valde dubium nobis videtur, num Polybius amorem mortemque Sophonibae tam diserte exposuerit quam Livius in l. XXX, 12 — 15; huc accedit, quod nusquam antea apud Livium neque omnino apud Polybium Sophonibae nomen legitur, sed apud hunc »παιδίσκη«, apud illum »puella« nominatur*). Tum autem neminem fugiet omnia rhetorica quadam arte esse exornata atque depicta. Deinde quae in l. XXX, 15 de Laelio Massinissa militibusque donatis legimus in Polybii pragmatia locum non habebant (cfr. Nissen. quaest., p. 91). Denique Polybium illas res a Laelio Massinissaque in Numidia gestas neque illo loco neque tam diserte memoriae prodidisse discimus ex ipso Polybio (l. XV, 4), ubi paucis verbis illius in Numidiam expeditionis mentionem facit — id quod supra omiserat. — Habemus autem fragmentum quoddam Coelianum apud Nonium, quo docemur has expeditionis in Africam res apud Coelium esse lectas. Quo fragmento agitur manifesto de Syphace rege, quem a Romanis Numidisque Laelio Massinissaque ducibus victum captumque verbis admodum similibus

---

*) Cfr. Polyb. XIV, 1 [4], 7 [6] et Liv. XXIX, 23 [4], 23 [7], XXX, 3, 7.—

vius in l. XXX, 12[1] tradit. Jam Nauta*) illud Coelianum fragmentum conjunxit m hoc Liviano loco; primus autem recte Bujack (p. 11) isti Coeliano fragmento niliorem apud Appianum locum adjecit ac Sileni vestigia et apud Coelium et apud pianum indagavit:

| Non. II, p. 89. | Liv. XXX, 12 [1]. | App. res Pun. VIII, c. 26. |
| --- | --- | --- |
| Jpse regis eminus equo rit pectus advorsum; conuclat percussus, dejedominum. | Jbi Syphax, dum obequitat hostium turmis equo graviter icto effusus opprimitur capiturque. | Τραπέντες οἱ τοῦ Σύφακος ἐς φυγὴν τὸν ποταμὸν ἐπέρων, ἔνθα τις αὐτοῦ Σύφακος τὸν ἵππον ἔβαλεν· ὁ δ' ἀπεσείσατο τὸν δεσπότην. |

Praeterea multae similitudines, quae et apud Livium et apud Appianum nores Sophonibae perlegentibus occurrunt, non alia ratione ortae esse possunt, i et Coelium et Appianum de Sileno, Livium de Coelio pendere putemus. Quibus gnitis ad eam sententiam adducimur, ut statuamus Livium capita 11 — 15 e elio traxisse, qui ipse et Sileni et alicujus Latini scriptoris narrationes conjunxeatque rhetorica ratione illustraverit. Quae deinde Liv. XXX, 17 continentur, eunm Latinum auctorem a Coelio usurpatum redolent; quae res, si apud Polybium erentur, paullo aliter narratae essent. Nam prorsus aliena sunt a Polybiano ibendi genere supplicatio in quatriduum (Liv. 17[3]), salutatio deorum (17[6]); legatio ssinissae, munera quae regi ejusque legatis dantur, sagula purpurea, equestria arcum loricis, tabernacula militarisque supellex, vestimenta, aedes liberae, loca tia (c. 17[13]—[14]). — Livius autem has res ex eodem fonte ex quo ceteras res a ipione in Africa gestas repetiit; hoc etiam inde sequitur, quod nil in his rebus ugnat cum iis, quae aliis locis apud Livium et apud Polybium eadem fere ratione rantur vel saepius ad priora respicitur.

Jam vero nos convertamus ad capita 21[11] — 23, quibus senatus consulta aque continentur. Ac fontem ex quo haec fluxerint esse diversum a Polybio aeque que ab eo auctore, cui quae in c. 16 et 17 narrata sunt debeantur, facile intelletur. Nam pacem a populo senatuque esse confirmatam legimus apud Polybium in XV, 1, 4; Livius in l. XXX, 23 contra alium fontem, fortasse Fabianum, certe

*) Nauta in annal. acad. Lugd. Bat., a. 1820—1821, p. 45. —

: sine responso esse dimissos«.

Livius in c. 17[2] auctor est: »decretum esse ut Laelius Romae re...
:c legati Carthaginienses venirent«, unde patet eos jam esse exspectat
:ra in c. 21 [11] Laelio jam dimisso Carthaginiensium legati ex improviso
ire videntur et revocari Laelium placet, ut coram eo de pace ageretur. — Pe
gimus in c. 21[12], Q. Fabium Gillonem, Scipionis legatum Carthaginienses lega
lduxisse Romam, sed nil de Gillone antea apud Livium in c. 16 et 17 comme
atur. — Carthaginiensium legati eandem ferme orationem (c. 22) quam apud Sc
onem (c. 16) habuerunt; unde colligimus legatos esse eosdem, qui ad Scipior
venerant. Sed alios fuisse apparet ex Livii c. 22[5], ubi omnes juvenes fuisse di
tur, cum Livius in c. 15[3] narret, ad Scipionem venisse sanctius illud Carthaginiens
concilium, i. e. senes. Quibus dictis pro explorato ponimus, capita 22 et 23
ex eodem fonte ac res in Africa gestas fluxisse. Neque aliter judicamus de Livi
capitibus 40 — 43, quibus aeque ac cap. 22 et 23 de pacis condicionibu
senatu confirmandis agitur. Quaestionem autem satis difficilem, quae hoc loco exi
num hae partes jam a Livii auctore cum ceteris rebus ipso bello gestis conjunc
fuerint, dissolvere non audemus.

Sed jam nostra aggredietur disputatio ad Livii caput 28; quod
illum fontem, quem Livius in rebus Scipionis componendis usurpasset, omnino non
tinere (Friedersd. p. 52), sed aeque ac capita 26 et 27 ex annalibus esse ex
ptum Friedersdorff (p. 45) non statuisset, si operam dedisset, ut Livii c
28 compararet cum Polybii libro XV, 3[3] -[4], quo loco Polybius cum res A
adventu Hannibalis in apertum discrimen evasurae viderentur, hoc temporis disc
sequentibus verbis significat: „τοιαύτης δὲ τῆς ἐξ ἀμφοῖν παραστάσεως ὑπαρχούσ
φανὲς ἦν ὅτι δεήσει διὰ μάχην κρίνεσθαι περὶ τῶν ἐνεστώτων. ἐξ οὗ συνέβαινε μὴ μό
κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ Λιβύην πάντας, ἀλλὰ καὶ τοὺς κατὰ τὴν Ἰβηρίαν καὶ Σικε
Σαρδόνα μετεώρους εἶναι καὶ περισπᾶσθαι ταῖς διανοίαις καραδοκοῦντες τὸ συμβ
Nam facile est ad intellegendum, illa Polybiana verba esse argumenta, de c
Livii capite 28 agitur: omnium et Romanorum et Carthaginiensium animi sc
quo sint erupturae timebant. Quod autem Polybius paucis verbis significa
Livii auctor rhetorica quadam arte exornavit et quam nitidissima ratione
Quem auctorem fuisse Coelium cum iam conjectura assequi possumus, tu
causis pro certo confirmari poterit. Pertinet enim ad Livianum librum
mentum quoddam Coelianum apud Nonium, quod jam Nauta (p. 46).

sunt C. Peter (p. 81), Meltzer (p. 23—24), H. Peter (fragm. 45, p. 160), Friedersdorff (p. 51) aliique, bene conjunxit cum isto Liviano loco (c. 28 [7]):

| Non. X, p. 508. | Liv. XXX, 28 [7]. |
|---|---|
| Duos et septuaginta lictorum domum deportavisse fascis, qui ductoribus hostium ante soluerint ferri. | Non esse hodie tot fasces populi Romani, quot captos in caede imperatorum domum praeferre posset Hannibal. |

Livius quidem sine dubio sententiam suam e Coelio deprompsit; verumtamen verba hujus ipsa locum habuisse videntur in oratione vel ipsius Hannibalis de rebus antea a se fortiter gestis gloriantis vel scriptoris alicujus laudes Hannibalis persequentis. Quod Sileni fuisse jam supra satis exposuimus. Jtaque cum in capite 28 certissima et Polybii et Coelii indicia nobis occurrant pro certo ponendum videtur, Livium repetisse hunc locum e Coelio, quem ipsum sententiam illam quam supra (p. 34) indicavimus e Polybio depromptam amplificasse et illustrasse Sileni verbis statuimus.

Sed jam accedamns ad aliam quaestionem, multum disputatam tractatamque, Hannibalis videlicet ad adventum et res ante pugnam Zamensem ab eo in Africa gestas. Narratur enim a Livio (XXX, 25 [11]), Hannibalem ad Leptim appulisse classem ibique copias exposuisse. Sed valde miramur, quod Livius post pauca capita in c. 29 [1]) tradit, »Hannibalem venisse Hadrumetum ibique ad reficiendum ex jactatione maritima militem paucos sumpsisse dies«. Qui adhuc de his Livianis locis scripserunt, inprimis Bekker*), Jhne, Friedersdorff secuti sunt eam sententiam, a Livio esse illam rem bis narratam, qui in c. 25 [11] adventum Hannibalis annales secutus praetereundo quodammodo commemorasset, deinde autem in c. 29 [1] ad priorem fontem in rebus Scipionis tradendis usurpatum reversus oblitusque, se jam antea (in c. 25 [11]) Hannibalem ad Leptim classem fecisse appellentem, ad Hadrumetum venisse Hannibalem narrasset. Bekker*) qui copiose de hac quaestione disseruit, Polybianam narrationem a Livio integram esse redditam opinatus Livium quod Hannibalis adventum diversa ratione bis narraverit, Polybium quod res ab Hannibale ante pugnam Zamensem gestas neglegenter praetermiserit vehementer vituperavit. Sed haec inique. Primum enim recordandum est, haudquaquam Polybii libros XIV et XV in integro esse; itaque ut e Polybii fragmentis non satis constat, utrum Hannibal clas-

*) Bekker, U. in »Dahlmanns Forschungen, II« Vorarbeiten zu einer Gesch. des II pun. Krieges. p. 185 ssqu. —

sem ad Leptim appulerit an ad Hadrumetum, ita hoc certe ex illis fragmentis comparet, Hannibalis in Africam accessum in ea parte libri XIV, quae aetatem non tulit, a Polybio fuisse commemoratum neque a Polybio prorsus neglectas esse eas res, quae ab Hannibale ut novum exercitum atque equitatum sibi pararet, ab accessu usque ad pugnam Zamensem gestae sunt; id quod Bekkerum (l. c. 182—190) fugisse videtur. Deinde monendum est, Polybianam illarum rerum narrationem omnino non integram apud Livium redditam, sed res ad ipsum Hannibalem pertinentes quam maxime esse neglectas. Quod factum esse satis intelleges, si Polybium (XV, 1—4) comparaveris cum Livio (XXX, 25); cum enim his in partibus de rebus ipsius Scipionis summus consensus inter duos illos scriptores intercedat, tamen his ipsis partibus res Hannibalis Carthaginiensiumque in pauca verba apud Livium coartatae sunt. Quibus ex causis factum est, ut de rebus per totum prope annum gestis neque apud Livium neque apud Polybium quidquam compertum habeamus; quae res omnino obscuritate involutae jacerent, nisi ab aliis auctoribus, scil. ab Appiano et Zonara lacunae illae aliqua ex parte explerentur. Qui autem fieri potuerit, ut Livii auctor de Hannibalis adventu tantopere perturbaretur, item ex Polybii l. XV, 4 apparebit. Cum enim Livius in c. 29 ad cetera quidem prorsus cum Polybio (c. 4) consentiat, in eo quam maxime inter se dissentiunt, quod Livius in c. 29 [1] »Hannibalem venisse Hadrumetum ibique ad reficiendum ex jactatione maritima militem paucis diebus sumptis Zamam esse profectum«, Polybius, quae de jactatione maritima nil habet, »Hannibalem paucos dies Hadrumeti moratum inde Zamam esse profectum« tradidit. Quam diversitatem eo esse factam conicimus, quod Livii auctor, qui alio ex fonte ac priora (c. 25 [1—10]) accepit Hannibalem ad Leptim appulisse classem (c. 25 [11]), cum in c. 29 [1] ad priorem fontem, i. e. Polybium reversus legisset, Hadrumeto Hannibalem esse profectum Zamam etiam in terram eum egressum esse Hadrumetum sumpserit; quam urbem non esse diversam a Lepti aut ad illam Hannibalem a Lepti navigasse ille credidisse videtur. Jtaque suo jure nec sine aliqua causa Polybii narrationi »Hannibalem paucos dies Hadrumeti sumpsisse« ex suo addidit verba: »ad reficiendum ex jactatione maritima militem«. Coelium autem etiam his in locis a Livio in usum esse vocatum fontem, etiamsi ut statueremus certa indicia in c. 28 non exstarent, vel sine his testimoniis aliis ex causis colligere nobis liceret. Percurrentes enim Livii caput 24 libri tricesimi statim recordamur, quod Coelius apud Livium (XXIX. 27) Scipioni in Africam trajicienti, idem accidisse Octavio Livium in l. XXX, 24 [5] tradidisse memoriae. Jtaque Petero (p. CCXXIII) Livius descriptionem illius tempestatis quam legisset apud Coelium non omnino videbatur abjecisse, sed transtulisse ad Octavium. Quam


sententiam nos quidem non probamus; nam Livius non de suo hanc rem exornasse, sed hanc quoque descriptionem Coelio, Coelius etiamsi non ipsam descriptionem, tamen totum ejus colorem Sileno debere nobis videtur. Deinde haeremus in Livii cap. 25 [11], ubi Hannibalis in Africam transitus naviumque ad Leptim accessus fabulose narrantur. Neque vero recte Friedersdorff (p. 45) hunc locum aeque ac capita 26—28 ex annalibus esse ductum disputasse videtur; sed quincunque Sileni genus scribendi cognitum habet, nullo modo in dubium veniet, quin Livius illa per Coelium traxerit e Sileno. —

Jam restat, ut paucis verbis de Livii capitibus 44 et 45 dicamus, quibus in partibus complures fontes eadem ratione conjuncti esse videntur. Nam Hannibalis oratio in curia habita (XXX, 44) multa Punici auctoris praebet indicia; neque illa Hannibalis verba apud scriptorem Romanum locum habuisse videntur. Quae deinde in c. 45 de Scipionis reditu triumphoque et de pecunia ab eo in aerarium lata militibusque distributa indicantur certissime ad fontem Romanum referenda sunt. Denique e Polybio (l. XVI, 23) ea sola, quae de rege Syphace in triumpho ducto (Liv. XXX, 45) adduntur, fluxerunt. Ceterum cum jam prorsus repugnat Liviano scribendi generi, opus brevibus partibus e diversis fontibus desumptis componere, tum nec ipse Livius ex fontibus Punicis hausisse neque ipse de re tam parvi momenti inspexisse Polybianum opus ullo credi potest modo; sed admodum propensi ad eam opinionem sumus, Coelium has quoque res diversis ex fontibus conscripsisse.

Itaque multis iisque certissimis testimoniis comprobatum habemus, Livium quidquid de rebus a Scipione majore in Africa gestis memoriae prodidit — nonnullis exceptis quae e Valerio repetita sunt — soli Coelio debere, Coelium autem in rebus Scipionis scribendis maxime Polybii auctoritate esse ductum, ex quo res ipso bello gestas desumeret (Liv. XXIX, $29^{5}$ — 35; XXX, 3—11, 16, $25^{1-10}$, 29—37), contra e Sileno eum singulas quasdam res, quae non ad ipsum bellum pertinerent, ut Scipionis Octavii Hannibalis in Africam trajectiones, Massinissae in Numidiam expeditionem ac Sophonibae amorem mortemque, Hannibalis orationem cap 44, certe ejus argumenta repetiisse et amplificandi exornandique causa Polybianis narrationibus inseruisse, praeterea autem eum ex annalibus, scil. scriptore Romano nonnullas res desumpsisse, quibus fontem suum aut amplificarit aut correxerit aut ad res Romanas aptarit. Ceterum quamquam non hujus quaestionis est, omnia quae Coelius narrationibus e Polybio desumptis inseruit componere, tamen exempli causa pauca hujus generis afferemus. Quibus in rebus ponimus quae apud Livium in l. XXIX, 35 et XXX, 17 de donato Massinissa aliisque, quae XXIX, 36 et XXX, 3, 17, 38 de

›mmeatu vestituque, quae XXX, 9 de Barcidarum parte, c. 33 de ...
. 33 de Laelii quaestoris opera, c. 36 de Lentuli classisque adventu, c. 36 de ictoria primis Saturnalibus a Vermina reportata, c. 37 de indutiarum condicionibus, c. 43—44 de pace facta, c. 44—45 de pecunia a Scipione in aerarium lata militibusque distributa, c. 45 de Scipionis reditu triumphoque, denique quae c. 6, 35, 36 de signis militaribus captis leguntur. —

Sententia, quam de fontibus rerum a Scipione majore in Africa gestarum secuti sumus, haud minime confirmatur iis, quae de usu adjectivi »rostratus« apud Livium nobis animadversa sunt. Livius enim primum in posterioribus decadis tertiae libris naves generis rostratarum commemoravit et in solis quidem rebus Scipionis tradendis (cfr. Liv. XXVIII, 45, 46; XXIX, 12, 25 [10. 11], 26; XXX, 10 [4. 13. 17], 24 [5. 8], 36[2], 37[3]). Tamen naves rostratae in decade tertia non singulare navium genus intellegun- tur, ut in decadibus IV et V, sed naves rostratae in libris XXVIII—XXX a navibus longis omnino non discernuntur (cfr. XXVIII 46; XXIX, 25, 26; XXX, 10, 24, 37, quibus locis eaedem naves bellicae modo in genere rostratarum modo longarum ponuntur). Quod autem apud Polybium XIV, 10 verbum »κατάφρακτος«, idem apud Livium in decade tertia (XXX, 10) »rostratus« declarat; Nissenii autem quaestionibus (p. 109) docemur, Livium in decadibus IV et V verba Polybiana »ναῦς κατάφρακτος« semper Latine reddidisse per »navis constrata« seu »navis tecta«, contra in decade tertia nusquam. Unde (si Livium ipsum traxisse res Scipionis e Polybio statuimus) sequitur, illud Polybianum »κατάφρακτος« non recte intellectum a Livio in decade tertia falso Latine per »rostratus« esse expressum. Non causam videmus, cur hoc a Livio esse factum putemus. Si autem statuimus utrumque scriptorem illas res eidem debere auctori et Latino quidem, Polybius verbo »rostratus«, quod sine dubio jam in illo communi fonte exstitisset, falsam vim subjecisse videbitur. Quod Polybium fecisse etiam minus placet. Itaque hac quoque re sententia nostra de Livii fontibus, Livium rerum Africarum memoriam de aliquo Latino scriptore deprompsisse, qui ipse quam maxime ad Polybium se applicuerit, firmatur. Coelium autem Livio fuisse auctorem eo veri simillimum est, quod animadvertisse nobis videmur, adjectivum »rostratus« esse Coelianum. Quibus enim in partibus decadis tertiae naves rostratae commemorantur in omnibus fere Coelius Livio in fontibus fuisse videtur. Nam primum, si XXVIII, 45, 46 insp cimus, Livium aut Coelio aut Valerio usum esse fonte videmus, cum hos duos in c. 46 laud auctores. Quorum Valerius hoc loco non fuit Livio fons principalis, sed ex eo s narratio de navibus captivos Ligurum Carthaginem portantibus desumpta est, q prorsus repugnet iis, quae Livius antea (46[7-12]) de socitate a Magone cum Liguri


Autopsia.
Libri Scipionum.
Laelii et Massinissae narrationes.
Silenus.
Poëta incertus, fortasse Ennius.
Polybius.
Scriptor incertus annalium Romanorum.
Coelius.
Valerius.
Livius.

# Sententiae controversae.

I. In versu Soph. O. T. 249 (Nauck) pro »καθέως« legendum esse censeo »κἀτέκνως«. —

II. Livii l. XXX, cap. 36. verba codicibus tradita »Saturnalibus primis« contendo esse retinenda. —

III. Codicibus Tullianis nixus pro explorato habeo, omnia nomina propria, quae Graece scribuntur diphthongo ει, Latine litera i non e esse scribenda. —

IV. Apoll. Soph. pag. 55.32 ἄμπελον illud errore librarii scriptum est pro »ἀμπεχόνην«.

V. Adalbertum eum, qui posterius primus archiepiscopus Magdeburgensis factus est, Reginonis chronicon continuasse ut credamus causis haudquaquam infirmis adducimur. —



